

illum sumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.» Hæc Ambros. Certe in Ecclesia quotidie sumitur saltem in membris et sacerdotum oblationibus, quæ fiunt pro omnibus.

Da nobis dicitur primo, ut quod manducamus, de manu Dei accipiamus: nam habere ad manducandum, commune est justorum et injustorum; de manu autem Dei accipere, est tantum piorum. Ita Chrysostom, hom. XIV. in Matth. Et infra ait: *Qui cum justitia præparat panem, illi dat Deus panem quem manducat; qui autem cum peccato, illi non dat Deus, sed diabolus.* Secundo, quoad panem spirituale, ut detur nobis ab Ecclesiæ antistitibus ac pastoribus, bonis et veris. Tertio, ut detur cum benedictione, ita nimirum ut panis ille nobis cedat ad salutem corporis et animæ. Quid enim si comedamus illum ut Israelitæ carnes? *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum et ira Dei ascendit super eos,* Psal. LXXVII.

Hodie dicitur primo, pro toto tempore hujus vitæ, S. Aug. l. II. de ser. Dom. in monte, cap. XII. Secundo, pro hodierno die, ut sic sollicitudo inanis pro crastino semoveatur, Tertull. de orat. Tertio, ut moneamur quotidie orare, et petere pro singulis diebus singulos panes: *Ut saltem necessitas cibi urgeat nos ut frequenter Deum adeamus, et mentem ad cælestia erigamus,* inquit Toletus, in comment. Luc. XI. Denique, ut moneamur vitam nostram incertam et diariam esse.

VII. Et dimitte nobis debita nostra dicitur primo, ut admoneamur omnes nos in conspectu Dei esse peccatores et reos, Cyprian. de orat. Domin. Ideo antiquitus cum hoc dicebant, tudebant orantes pectora sua, S. August. serm. X. inter hom. L. Secundo, ut intelligamus post baptismi poenitentiae remedium concedi, S. Chrysostom. in opere imperf. Tertio, ut sciamus quædam esse venialia peccata, quæ consistant cum charitate. Omnes enim orare jubemur, nec tamen omnes mortifera peccata habemus.

*Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris dicitur primo, ut cum Deo pactum ineamus, quo nobis eo modo, quo nos dimittimus, dimittat, Cyrill. Hierosolym. cateches. mystag. V. Secundo, ut moneamur nos prius et statim dimittere. Unde dicitur: Dimittimus, non dimittemus. Scit enim Deus homines esse mendaces; ideo vult ut prius et in presenti dimittamus, Chrysost. hom. XIV. in opere imperf. Ipse prior nos intuetur quid agamus cum proximo, uti in illa parabola: *Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, etc.**

VII. Et ne nos inducas in tentationem; petimus primo, ne in tentationem incidamus, saltem

gravem: ne scilicet ponamur in fronte prælii, ubi certissimum periculum, uti fuit Urias constitutus a Davide, Cyprian. ubi S. Chrysost. homil. XX. in Matth. ait: *Docet nos non quidem recusare certamina, nec tamen in ea audacius insilire.* Et S. Aug. l. IX. confes. c. XXVIII. ait: *Jubet eas (de tentationibus loquitur) tolerare, non amare.* Secundo, ne in tentatione succumbamus, S. Aug. ep. CXXI. c. XI. et alii. Tertio, ut admoneamur infirmitatis nostræ, quæ metum nobis incutere debet: deinde, dæmonem nihil in nos posse sine Dei permissu, ejusque beneficium esse, quidquid a dæmone non patimur. Ita S. Cyprian. ubi supra.

IX. Sed libera nos a malo dicitur primo, ut liberemur a dæmone. Græci enim mali nomine dæmonem interpretantur, qui: *Etsi non natura malus est, in eo tamen omnis vitiositas exuberat,* (ait Petrus Laodicensis post Chrys.) et per antonomasiam malus dicitur. Secundo, ut ab omni malitia et adversitate, quatenus a summo bono impediunt, Cyprian. Aug. et alii. Tertio, ut moneamur Deo nostras petitiones resignare, qui solus novit, quid nobis bonum vel malum sit, ideo in genere tantum, et nullum in specie malum nominamus.

In Græco et Syriaco textu additur: *Quoniam tuum est regnum et potentia et gloria in sæcula.* Quæ tamen verba ab Ecclesia et Latinis patribus non agnoscuntur, neque in emendata editione habentur: a Græcis quibusdam patribus exponuntur, sed videntur in textum Græcum irrepsisse ex ipsorum liturgia sive missa.

Amen dicitur primo, adverbialiter, scilicet vere, fideliter, q. d. vere ac fideliter hæc petimus. Secundo, Amen, hoc est, fiat vel ita sit: precamur, ut eveniat quod petimus.

CONCIO XIII.

CUR DEUS SINAT NOS CALAMITATIBUS PREMI.

- I. Quia decet ut Deus sinat res ferri suis motibus.
II. Quia peccatis nostris debentur. — III. Quia sunt fructus naturæ nostræ, etc. — IV. Quia nos agnoscere et timere Deum faciunt. — V. Quia nobis sunt exercitamenta.

THEMA.

Noli mihi molestus esse. Luc. XI.

In vita S. Bennonis episcopi Misnensis scribit Hieronymus Emser, apud Sur. mense Julio, sanctum illum, cum apud paludem sacrificio orationique intentus ranarum coaxatione turbaretur, præcepisse eis, ut silentium servarent, dum ipse sacra perageret: et mox contulerunt ranæ. Simillimam historiam de alio sacerdote ranas comespiciente scribit S. Ambrosius, in I

de virginibus, ad quam deinde exclamat: *Silent igitur paludes, homines non silebunt?* Sed a quid ergo ista? Videor mihi hoc afflicto tempore audire ranas et paludibus suis coaxantes; homines, inquam, contra divinam providentiam, qua Deus ac Dominus noster in cælesti templo sedens mundum sapientissime gubernat, murmurantes quasi inique cum ipsis agat, dum eos miseris et calamitatibus involvi sinit. Sed obmutescite pessimæ ranæ: *Dominus in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra,* ait Habacuc, c. II. q. d. e cælo aspiciet, dirigit et moderatur res hominum: sileat ergo a facie ejus omnis terra, nemo ei obmurmuret, nemo conqueratur. Eoque sensu intelligere possumus verba hodierni evangelii: *Noli mihi molestus esse.* Molesti enim Deo sunt, non qui eum orant, sed qui contra eum murmurant, ut patet Num. XIV. ubi de similibus ranis queritur: *Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? Silent ergo paludes, non silebunt homines?* Cæterum ut vindicemus Dominum Deum a murmure et calumniis hominum, causas aperiemus, propter quas immittere solet nobis clades et calamitates.

I. Quia decet Deum supremum moderatorem, ut sinat agi res suis motibus. Nam si causæ sint naturales, ut imbres, æstus, venti, nebulae, fulmina, etc. propter privata aliquorum damna, non debet inhiberi communis naturæ cursus, præsertim cum etsi his obsint, aliis prosint. Si causæ sint liberæ, multo magis sibi sinendæ sunt, ne bonum sit coactum, sic enim periret meritum. Qui regit communitatem, non potest attendere ad commoda singulorum. Sic dux belli oppugnans civitatem etiam multis innocentibus nocere cogitur, ut punire nocentes possit. Patescet suo tempore, quomodo hæc omnia ad finem ultimum, qui est perfectio universi vel potius Dei gloria, optime et sapientissime ordinata sint.

Ad hæc quia Dominus et supremus gubernator est, non facit nobis injuriam, si nobiscum agat jure et libitu suo. *Dominus est,* dicebat Heli (cum audisset se a Deo castigandum) *quod bonum est in oculis suis, faciat,* 1. Regum III. Si mendici nobiscum expostularent, quod non tantum panis hoc anno illis demus, quantum alias dedimus, mox responderemus: Amici, nihil tibi debeo. Nos Dei mendici sumus: unde si non semper det abundanter, quid contra ipsum dicere poterimus? Et certe Deus omne in nos jus habet, ut non possimus conqueri, quicquid nobis immiserit, nec ab ipso rationem exigere: Cur sic mecum agis? Ipse enim in nos jure suo utitur, et centuple duriora potest in nos statuere. Satis sit nobis, ipsi sic placere. Non putamus nos injuriam facere locustis, si eas capia-

mus, occidamus aut pedibus proteramus. Atqui nos coram Deo locustæ sumus. Audi Isaiam, cap. XL. *Qui sedet super gyrum terræ, (id est, Deus qui præsidet toti orbi) et habitatores ejus sunt quasi locustæ.* Ut enim locustæ ex putredine nascuntur, venter tantum et pituita sunt, a vento potius feruntur quam volatu proprio, etc. ita homines quoque.

II. Quia hæc omnia sæpe nostris peccatis sumus commeriti. Si enim unum peccatum mortale punitur æterno inferni supplicio, idque justo Dei judicio: cur durum nobis videatur, si temporalibus flagellis puniat Deus peccata nostra multa? Forte centies commeriti sumus poenas inferorum; nonne ergo maxima est gratia, si puniat nos Deus poenis temporalibus? Audi Deum per Isaiam, c. XLVIII. loquentem: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis,* q. d. non excoxi te pro merito tuo, puniendo te: sic enim omnino consumpsissem te, sed purificavi te leviore camino paupertatis. Ac licet aliqui lethaliter non peccarint, peccarunt tamen venialiter; debetur autem etiam venialibus delictis sua poena temporalis. Hinc tyranni per quos immittit nobis Deus clades, dicuntur *virgæ Dei,* uti Sennacherib rex Assyriorum: *Virga furoris Dei et baculus,* Isa. X. Virga pro iis qui minus, baculus pro iis qui gravius deliquerunt. Hinc et Attila ille vastator orbis *flagellum Dei* dictus fuit. Similiter Tamerlanes ille Tartarorum princeps *iram Dei et orbis vastitatem* se appellabat. Dicit ergo unusquisque cum Michæa, cap. IV. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Ita egit Mauritius imperator qui ob peccata quædam sua hic in vita puniri eligens, cum quinque ejus filii ipso inspectante a Phoca necarentur, ad singulorum trucidationem exclamabat: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Theophanes, apud Baron. anno Domini 602.

III. Quia hæc calamitates sunt fructus, primo, naturæ nostræ, quæ inter species rationalium est infima, et seposita Dei ope omnibus malis obnoxia. Videmus ergo nunc quam simus vasa fragilia quæ faciunt invicem angustias; simul enim atque avertit Deus a nobis manum aut faciem suam, illico corruimus, turbamur, et in pulverem nostrum revertimur. In hujus rei figuram Jonas, cum crevisset tempore æstus super caput ejus hedera, lætatus est super ea, sed mox ubi percussa a verme aruit, cepit Jonas æstuarum, et petere animæ suæ ut moreretur, Jon. IV. Secundo, peccati originalis, quod hæc omnia mala invexit. Sublata enim justitia originali, his malis homo est expositus, a quibus antea Dei protectione fuisset preservatus. Tertio, congruunt exilio nostro. In valle enim

lacrymarum sumus, non in paradiso voluptatis, in loco certaminis, non in loco triumphis: faciunt ergo nobis sordere terram et terrena omnia. Inveniuntur interdum homines tam stulti, qui si possent, cuperent semper in mundo degere: sed modo vident, quam desipiant, dum sordidum et inops stabulum eligunt pro splendido diviteque palatio.

IV. Quia hæc faciunt nos cognoscere, et timere Deum nostrum, dum videmus, quam variis et facilibus modis, quam potenter nos affligere possit. Castigavit nos aliquando per siccitatem, jam per imbres diuturnos, jam per grandinem, jam per pruina: alias bello, peste, fame. Vah: quam potens est ille Deus! Sed hæc omnes clades, velitationes tantum elementorum sunt. Emittit Deus in nos hic unum aut alterum militem, non exercitum totum. Quid erit, cum extremo tempore elementa omnia committentur, et una in hominem pugnabunt? *Aperuit Dominus thesaurum suum*, inquit Jerem. cap. L. *et protulit vasa iræ suæ*. Habet enim velut in armario infinita genera tormentorum et plagarum. Quid erit, cum totum armarium aperiet, et in hostes suos immittet?

V. Quia hæc omnia sunt nobis exercitamenta vel instrumenta virtutum, calcar ad emendam vitam, et seges coronarum, si bene eis voluerimus uti. Primo, multorum virtus consopita jacuisset, nisi adversitas eam prodidisset; facile enim est Deo servire cum omnia ad votum succedunt: facile est navigare cum ventus secundus aspirat; tempestas ostendit navæ virtutem et peritiam. Hinc Jacobus ait cap. 1. *Patientia opus perfectum habet*. Si enim tempore tribulationis nihil quis remittat de solito pietatis studio, sed eodem pede perstet, et gravia incommoda propter Deum sustineat, ille perfectus ostenditur. Tribulatio est ventilabrum illud, quod Joan. Baptista teste, Christus in manu sua tenet, et quo purgat aream suam. Triticum enim seu vir bonus perstat ventilatus, id est, movetur quidem non nihil, sed a Deo tamen et a recto non recedit; palea vero seu vir malus avolat per impatientiam.

Secundo, revocant nos ad Deum a quo fugimus per peccatum. Sic enim exorta in mari tempestas retraxit Jonam ad Deum ejusque mandatum exequendum, a quo fugerat, Jon. 1. Cujus rei typus fuit ignis quem immisit Absalon in segetem Joabi quem ad se evocatum aliter adducere non poterat, II. Reg. XIV.

Tertio, faciunt ad emendationem nostram. Hinc tribulationem aratro comparat S. Chrysost. hom. IV. de penitentia; quia ut aratro noxiæ evelluntur et necantur herbæ, sic vitia per tribulationem. Unde si agricolæ semel aut sæpius

in anno aratro excolunt agrum, quid mirum si idem faciat in mundo Deus? Certe vitia plurima eradicantur tribulationis tempore; et quemadmodum S. Joannes e ferventis olei dolio exit vegetior, ita et virtus hominum tribulatione perficitur; contra prosperitas dissolutos et molles facit. David in adversitate, et persecutione bene semper se gessit, in prosperitate et pace deliquit. Prosperitas et abundantia prodigum a patre adduxit, fames et adversitas ad eundem reduxit.

Quarto, præservant a futuris malis, quo modo sal carnem a putredine, et hinc apostolo datus fuit stimulus carnis, ne extolleretur. Hoc sine relictis sunt Chananæi in terra sancta, ut Hebræi per illos exercerentur ne otio diffuerent et perverterentur, Judic. III. Hoc sensu videtur dixisse Abigail animas justorum: *Custodiri quasi in fasciculo viventium, impiorum vero animas rotari quasi impetu et circulo fundæ*, 1. Reg. XXV. « Sic enim electi, inquit gl. ord. pressura tribulationum constringuntur, ut his admoniti arctius ad invicem mutua charitate nectantur, et adunati per manus redemptoris in perpetuum conserventur. Reprobi quanto latius voluptatibus suis dimituntur, tanto longius a divinæ visionis gloria projiciuntur. »

Denique, si patienter afflictiones nobis immisas tulerimus, magnum inde nobis bonum proveniet. Hinc virga illa vigilans, ostensa Jeremiæ, et correctionem denotans, secundum versionem septuaginta interpretum vocatur *baculus nucæ*; secundum Theodotionem *virga amygdalina*; quia quemadmodum nux sive amygdalum habet amarissimum corticem et testa durissima cingitur, quibus detractis fructus dulcis reperitur: ita correctio divina amara quidem videtur ad præsens, sed in futuro fructus parit dulcissimos, juxta id apostoli ad Hebr. XII. *Omnis disciplina in præsentem quidem videtur non esse gaudii sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ*. Quæ verba citans Bernardus, serm. X. de cœna Domini præclare ait: « Flagellis Domini pinguedo carnalis voluptatis atteritur, et virtute animæ roborantur: lasciva caro restringitur, et anima pennis virtutum ad cœlestia sublevatur: caro quod superfluum habebat amittit, et Spiritus virtutes quas non habebat acquirit: si ergo per flagella Domini virtutes augmentur, vitia resequantur, spernuntur terrena, amantur cœlestia, non æternitatis præmia præstolantes si nobis aliqua gravis infirmitas, vel tentatio fortis, vel etiam clamnum temporalium rerum irrepsit, ex hiis omnibus vires sumere debemus: quia crescente pugna, gloriosorem non ambigemus nobis manere victoriam. In hoc namque ostendimus, quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solum ad

eum per tranquilla et mollia, sed etiam per aspera et dura transimus. Ad æterna gaudia jam redire non possumus, nisi per temporalia detrimenta, et ideo spe manentis lætitiæ, omnia adversa prosperitatem non modicam debemus reputare.

Quare videmus, auditores, immerito nos murmurare contra Deum cum immittit nobis clades aliquas, id quod gravibus verbis dixit Jeremias, Thren. III. *Quid murmuravit homo vivens, q. d. quando universa vanitas est omnis homo vivens*, (Psalm. XXXVIII.) quid murmurat contra Deum quod ab eo puniatur pro peccatis suis? Vidit hoc gentilis ille Pythagoras, qui dicebat: *Quibuscumque infortuniis homines anguntur, prout sors tua fuerit, eam ferto moderate, neque indignare*. Et ejus discipulus atque interpres Hierocles, qui dixit: *Tibi et culpæ tuæ indignare, non Deo. Culpam tolle, et infortunium auferet Deus*.

Ad extremum igitur si liberari a pressuris nostris volumus, alio utamur remedio, necesse est. Quodnam vero illud? Oratio quæ Deum etiam juste nobis iratum flectit ad misericordiam et amotionem flagellorum. Hoc remedio usus Baruch propheta complures adhibet modos mitigandi iram Dei, c. II. Primo, allegat Judæos populum Dei esse, quem tanta cura et labore eduxit de Ægypto, § XI. *Et nunc, inquit, Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu valida, etc. q. d. noli, Domine, tuum opus, tantis auctum favoribus et miraculis, perdere aut deserere*. Deinde, fatetur et deprecatur culpam populi sui, § XII. *Peccavimus, impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus justitiis tuis*. Tertio, allegat summam populi calamitatem et desolationem, § XIII. *Avertatur ira tua a nobis, quia derelicti sumus pauci inter gentes ubi dispersisti nos*. Quarto, projicit se in clementiam divinam, non in merita sua, § XIV. *Exaudi, Domine, preces nostras et orationes nostras, et educ nos propter te, q. d. non propter merita nostra, sed propter te et infinitam tuam clementiam parce*. Quinto, proponit Deo gloriam ejus inde resultaturam, § XV. *Ut sciat omnis terra, inquit, quia tu es Dominus Deus noster: ut omnes nimirum gentes celebrent tuam clementiam et paternam providentiam*. Sexto, proponit eidem jacturam et intermissionem publici Dei cultus, si periret Hebræorum populus, § XVII. *Aperi oculos tuos et vide: quia non mortui qui sunt in inferno dabunt honorem et justificationem Domino*. Septimo, monet eum promissionis suæ qua veniam penitentibus promisit, § XXVIII. *Sicut locutus es in manu pueri tui Moyse, etc.* Denique, repræsentat ei merita et promissiones patrum suorum, Abraham, Isaac et Jacob,

a XXXIV, *Revocabo illos in terram quam juravi patribus eorum, Abraham, Isaac et Jacob*.

Hæc ratione, auditores, conemur etiam nos placare Deum nostrum et avertere iram ejus. Primo quidem, reficando ei in memoriam quod simus populus ejus electus, quod membra Ecclesiæ ejus, quam tanto labore emit, tot favoribus cumulavit præ omnibus nationibus. Secundo, agnoscamus et confiteamur peccata nostra, quibus iram Dei provocavimus et juste commermimus. Tertio, statuamus ei ante oculos nostras calamitates ferventi oratione. Quarto, referamus nos non ad merita nostra, sed a divinam potius misericordiam, quam etiam indignis solet impendere. Quinto, ostendamus ei gloriam, quæ ex nostra liberatione in ipsum redundabit cum videbunt gentes et adversarii nostri, quod curam habeat nostri, nec deseruit populum suum. Sexto, allegemus etiam jacturam cultus divini, qui intercidit et cessat, si fideles intereant et Ecclesia in manus hostium deveniat. Septimo, reficemus et in memoriam promissionem suam qua se fore cum Ecclesia sua, et penitentibus veniam daturum promisit. Denique, repræsentemus ei merita Christi Domini nostri, in cujus nomine eum oramus, ut per merita ejus audiri mereamur, qui meritis nostris diffidimus.

Hi sunt clamores, hi pulsus, quibus fores magni nostri amici Dei pulsandæ sunt; non murmur aut querimoniam. Sperandum etiam est ad hujusmodi preces tandem reseratum iri januam misericordiæ, et quod petimus, obtentum.

CONCIO XIV.

DOCUMENTA.

- I. Pauci amici veri. — II. Amicus Dei sit qui orat. — III. Propter amicum juvandum labor subeundus. — IV. Commodandum et mutuo dandum. — V. Liberalitas et pronitas ad largiendum. — VI. Virtus et efficacia orationis. — VII. Recte instituantur supplicationes.

THEMA.

Amice, commoda mihi tres panes. Luc. XI.

Nimium, auditores, videtur iste petere, qui pro unico hospite, tres panes mutuo petit. Sed, ni fallor, voluit Dominus ternario hoc numero nobis insinuare tres potissimum panes a Deo postulandos. Primus est panis corporis, de quo in oratione Dominica dicimus quotidie: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Alter est panis animæ, de quo Dominus, Matth. IV. ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Tertius est panis animæ et corporis, quem in cœlo expectamus, status

beatitudinis; de quo dixit quidam discumbentium cum Christo: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, Luc. XIV. Nos ergo, auditores, in tribus istis supplicationibus, tres panes hos postulamus. Et quia panis verbi divini latet in hodierno evangelio velut in arca reclusus, illum hodie petamus, ut eum nobis Deus promere et frangere dignetur.

I. Discimus, paucos esse amicos veros, quos media nocte, id est, in tribulatione tua adire audeas et benevolos reperias. Hoc enim indicare videtur Dominus ea loquendi formula: *Quis vestrum habebit amicum?* q. d. non sunt passim obvii tales amici veri. Confirmat hoc idem Ecclesiasticus, c. VI. dicens: *Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum*. Ratio est, quia hominum amicitia plerumque fragili nititur fundamento. Aliorum amicitia fundatur in delectatione, aliorum in utilitate, aliorum in vivendi communi consuetudine et studiorum communione, aliorum in sanguinis propinquitate, etc. quorum nulla est solida. De prima testem habemus Samsonem, qui a sua Dalila, robore spoliatus et hostium manibus traditus est. De secunda ait Ecclesiasticus, c. cit. *Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis*. Tertia amicitia dissolvitur, ubi amici separantur, et plerumque nimia familiaritas odium parit, eaque tandem inveterascit; sicut nullum est vestimentum, tam festivum, quin tandem fiat quotidianum et vile. Nimia familiaritas Saulis cum Davide cito in odium versa est. Quartam communiter solvit mors. Nam qui diutius ægrotat, molestus fit propinquis: mortuus deinde brevi oblivione sepelitur. Et hi omnes amici qui prosunt morienti? Ibi verificatur, quod ait Jeremias, Thren. 1. *Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me*. Ad litteram Ægyptios intelligit, quia Judæis vicinis obsessis vocati in auxilium contra Chaldæos, videntes horum copias et vires, reversi sunt et Judæos non juverunt. Sic in Belgio nuper insignis vir in morte vocavit et imploravit opem uxoris: *Charissima conjux, adjuva me in his angustiis; cumque illa flens diceret: Equi possum te juvare charissime marite, in morbo incurabili?* Vocavit filium primogenitum: *Fili, adjuva, eripe me ex hisce angustiis; ego pro te nocte et die laboravi, et vitam sæpe periculo exposui*. Cumque ille pariter gemens diceret: *Utinam, mi pater, te morte eripere possem!* Sed hoc vires meas excedit. Vocabit secundum, deinde tertium, ac cæteros ordine filios et filias, deinde famulos et ancillas, quemque sigillatim compellans, ac ejus implorans opem; cumque singuli dolentes idem responderent, dicerentque contra mortem non esse remedium, exclamavit ille: « O vanas hominum

curas! O quantum est in rebus mane! Ecce ego tibi o uxor, vobis o filii et filiae, laboravi, sudavi, vires et vitam impendi, quin et animam forte oppignoravi: et ecce hæc est merces mea ut in hac hora ultima implorans opem vestram non inveniam. O quam satius fuisset si Deus servivissem! Si amicos in terra et in cælis parasset, qui in hoc articulo mihi adessent! O si vivere liceret, quam saperem!» Refert. P. Corn. a Lap. in Jerem.

Omnes ergo hi amici, baculi sunt arundinei, quibus si inniti velis, franguntur. Argentum vivum licet auro sit arctissime copulatum, in igne tamen id deserit; ita amici dicti morientem saltem deserunt, etsi viventis fortissime adhaerent.

II. Dicimus amicum esse debere, qui Deum orat. Audimus enim amicum rogari ab amico, qui si illi infensus fuisset, quomodo eum rogare ausus esset? Hinc idem Dominus noster ita nos orare jussit: *Pater noster, qui es in cælis*: et rursum, Jo. XV. dixit: *Si feceritis quæ præcipio vobis, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis*. Alioquin enim si quis in Dei inimicitia perseveret, sciat verissimum fore illud verbum cæci: *Scimus quoniam peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est et voluntatem ejus facit hunc exaudit*, Joan. IX.

III. Discimus propter amicum juvandum libenter aliquid laboris subire. Ecce enim is qui jam cum suis liberis in cubili quiescebat, evocatus ab amico in subsidium prodiit tandem, suam quietem posthabens amici necessitati; quod etsi cum aliqua renitentia fecit, non tamen idecirco omni laude caruit. Gratus fuit Deo et suum pondus habuit panis ille Petri telonearii, quem (ut alibi diximus) in pauperem conjecerat. Scimus etiam Loth ab incendio Sodomæ servatum, licet invitatus inde exiret et pene extraheretur, Gen. XIX. Scimus eos quoque ad cenam admissos fuisse, qui intrare compulsi sunt, Luc. XIV. Verum ut augeatur meritum, præstat cito et libenter dare quam tarde et renitenter. Qui cito dat, bis dat. Propterea videtur mihi Dominus morositatem et imperfectionem hodierni datoris taxasse in fine evangelii, cum ait: *Si ergo vos cum sitis mali, etc.* q. d. vos homines duri et difficiles ad dandum, vincere potestis precibus: quanto magis Pater vester pronissimus ad largiendum.

IV. Discimus commodare et mutuuum dare et quidem sine usuræ exactione, vel spe alterius muneris. Nihil enim hic lege fœnoris, pacti, emolumenti, vel etiam pignoris. Sine ullo pacto mutuos dedit panes, qui rogabatur; non dixit: Dabis mihi quatuor pro tribus, vel superaddes mœxæ etc. Refrigit nunc hæc charitas etiam

inter Christianos, quorum nemo fere mutuuum dare, nisi sub pignore certo, vel sub spe, et interdum expresso pacto emolumenti vult, quod plane fœnus est turpissimum: vel loco mutui jam emptionis contractus fiunt, ut lucrum e pecunia eliciatur. Quod licet per se licitum sit, quia tamen christianam invicem mutuandi rationem extinguit: *Suspicione criminis non caret*, inquit P. Alph. Salmeron, in hunc locum, *nam vulgus dum has emptiones facit, se mutuare asserit*. Video tamen hujus mali causam esse plurimorum perfidiam et ingratitude, qui mutuo data tempore restitutionis etiam interpellati non restitunt. Hinc enim ditiores velut piscator ictus sapere discunt, suisque rebus, non aliorum commodis prospicere. Pauci ergo volunt mutuare, quia pauci volunt solvere. Scire ergo et isti debent, peccatorem hujus evangelii non dixisse: *Dona mihi, sed commoda tres panes*; promittens tacite panum restitutionem fideliter faciendam. Si tu frumentum molæ affundas, mox inferne saecum apertum tenes, ut farinam colligas. Quis affunderet frumentum, si farina non sequeretur, sed in aquam vel occultum cuniculum fraude molitoris caderet? Diceret sane quilibet: *Obsit ut revertar ad istum molitorem*. At hujusmodi molitores plurimi nunc sunt, quodque amplius est, nemo sibi conscientiae scrupulum facit, si ultra constitutum tempus mutuatori rem suam detineat. Prodigunt multi mutuam sibi pecuniam; et cum mutuator ad destinatum terminum expectat suo marsupio nummos alteri creditos, nihil ad se redire videt, nisi forte inimicitiam mutuatarii, improba verba et diras imprecationes.

V. Discimus Dei liberalitatem et pronitatem ad benefaciendum et largiendum nobis. Tametsi enim hæc parabola videtur in cortice ostendere, Deum ægre et difficulter exorari; revera tamen contrarium concludit. In ea enim docet Dominus, qua ratione possimus Deum precando expugnare, instando videlicet perseveranter orationi. Velut si quis mendico dicat: *Pater meus ægre quidem dat et diu multumque exorandus est, hoc tamen habet, ut neminem, qui instanter et importune roget, in donatum relinquat*. Hic sane mendicum a mendicando non avertit, sed instruit et hortatur. Unde Petrus Ravennas, serm. XIX. ait: « O quam dare vult, qui se inquietari taliter, taliter suscitari patitur!» Et mox: « O quam negare voluit, qui sibi etiam neganti qualiter extorqueretur ostendit!» Nimirum delectatur Dominus orationis nostræ seria instantia: quod videre possumus in Chananæa illa, quam Dominus permisit diu post se clamare, quasi eam non audiret, tametsi a discipulis moneretur: *Dimitte eam quia clamat post nos*. Delecta-

batur enim Dominus ejus oratione, quæ in ea virtutes suas complures exerebat. Tantum igitur abest ut Deo molesti simus, cum importune eum oramus, ut potius molesti simus, cum non oramus. Ita enim Achaz, quia signum a Deo petere noluit, molestus fuisse Deo dicitur, Isa. VII.

VI. Discimus virtutem et efficaciam orationis. Quemadmodum enim amicus iste precibus tandem victus surrexit et dedit postulanti, quod voluit: ita etiam instanti oratione expugnatur tandem Deus, ut petitiones audiat. Quare bene S. Gregorius, ho. XIV. in Ezech. comparat orationem cum lucta angeli Deum representantis et Jacobi, Gen. XXXII. Ibi enim Jacob tamdiu tenuit et quodammodo fatigavit angelum, ut dimittere noluerit nisi benedictionem ab eo impetraret. Id quod significabat Deum precibus vinci et expugnari posse. Unde Jacob ob id vocatus est Israel, id est, *vir dominans*, quia prævaluit angelo. Sic expugnavit Christum mulier Chananæa, quæ licet repulsam semel iterumque passa, rogare tamen pro filia institit, tandemque non solum audita est, sed etiam miro præconio a Christo commendata, Matth. XV. Quod si oratio fortis est contra Deum, quanto magis contra homines prævalebit? ut ait angelus ad Jacob, loco cit. Hinc sancti ex potentia orationis facti sunt thaumaturgi et quasi omnipotentes, uti S. Bernardus, S. Franciscus, S. Dominicus, qui dictitabat se nihil unquam a Deo postulasse, quod non impetrasset; idque demonstravit in D. Conrado, cui impetratum se gratiam prædixit, qua ad ipsius religionem sæculo transiret, ut factum, et nos alibi diximus. S. Thomas Aquinas assererat se omne id assecutum, quod intercessione Beatæ Virginis efflagitasset: S. Elisabetha promisit adolescenti sæculo addicto, se ipsi impetraturam, ut Dei amore inflammatus sæculo valediceret, uti factum, et alibi dictum: S. Catharina Sennensis orando dicebat Domino non dimittam te, nisi id quod postulo, v. g. hujus vel illius peccatoris conversionem a te obtinero; itaque omnia obtinebat.

VII. Discimus, non errare Ecclesiam, cum ad aliquod templum, velut ad alicujus sancti patrocinium instituit supplicationem. Hoc enim fecit in hodierno evangelio is, qui panibus indiguit; dum ad amicum suum media nocte eos petitum venit. Possumus ergo et nos adire imprimis magnum nostrum amicum, Christum, deinde sanctos ejus, qui utique et ipsi amici nostri sunt. Possumus inquam adire, ritæ supplicationis, quasi facto cuneo et cum quodam exercitu. Docemur hoc imprimis ab ipso Deo, qui per Joelem prophetam, c. II. supplicationem